



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. LXXV. An veritas intellectus solum sit in compositione, & diuisione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

per conformitatem intellectus & rei veritas definitur. Vnde cōformitatem istam cognoscere, est cognoscere veritatem. Hanc rationem nullo modo sensus cognoscit. Licet enim visus habeat similitudinem visibilis, non tamē cognoscit comparationem, quæ est inter rem visam, & id quod ipse apprehendit. Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest: sed tamen non apprehendit eam secundum quod cognoscit de aliquo quod quid est: sed quando indicat rem ita se habere sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit & dicit verum. Et hoc facit componendo & diuidendo. Nam in omni propositione, aliquam formam significatam per prædicatum, vel applicat alicui rei significatam per subiectum vel remouet ab ea: ideo bene inuenitur quod sensus est verus de aliqua re vel intellectus, cognoscendo quod quid est, sed non quod cognoscit aut dicit verum. Et similiter est de votibus incomplexis. Veritas igitur potest esse in sensu, vel in intellectu cognoscente quod quid est, ut in quadam re vera, non autem ut cognitum in cognoscente: quod importat nomen vere. Perfectio enim intellectus est verum ut cognitum. Et ideo proprie loquendo, veritas est in intellectu componente & diuidente, non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est. Et per hoc patet solutio ad obiecta.

Conclusio est, *Veritas solum est in intellectu componente & diuidente*. Duplex in utroque art. difficultas est, tum in explicanda mente S. Thom. tum etiam in doctrina ipsa, duabus igitur disp. seq. quoad eius fieri poterit, utramque examinare, & veram, propriamque naturam veritatis vnuerse definire conabimur.

DISPUTATIO LXXV.

An veritas intellectus solum sit in compositione, & diuisione.

Sententia Ferrariensis & aliorum, cap. 1.

Prædicta sententia refellitur, & opposita testimonijs præferunt Arist. probatur, cap. 2.

Rationibus probatur posterior opinio, cap. 3.

Respondetur argumentis prioris sententiae, cap. 4.

CAP. I.

Sententia Ferrariensis & aliorum.

Cum veritas in vniuersum sic definiatur, *Est adæquatio intellectus & rei, & ut ait S. Thom. in calce huius art. hæc definitio ad intellectum & ad rem ipsam possit pertinere: ac proinde non modo intellectus, sed etiam quæcumque res vera esse dicatur, imo veritas quasi passio entis à Philosophis assignetur; ut naturam eius melius intelligamus, & vniuersum definiamus; necessarium duximus, si-gillatim monstrare quo pacto tum intellectui, tum rebus omnibus veritas conueniat. Quamuis au-*

tem controuersia bona ex parte potius verborum, quam rerum esse videatur; tamen non debet leuioris momenti iudicari: siquidem ex ea accurate explicata perspicuum fiet, quæ de causa Deus nos-ter dicatur verus Deus, gentilium autem falsi Dii merito appellentur. Ex Scholasticis pauci sunt, atque eorum plures ex schola S. Thom. qui de hac re disputauerint, sed non omnes in eandem sententiam conueniunt: tamen si quisque in suam opinionem Doctorem Sanctum pertrahere contendat. Quare quantum poterimus non modo quid nobis probetur, sed etiam quid ab alijs dicatur, more solito persequemur.

Est autem obseruandum in primis id quod ad-moneat Durand. Heruzus, & alij: cum contro-uerfia est de veritate intellectus, non esse intelli-gendam de ipsa facultate, quæ habet quandam ra-tionem entis: sic enim de intellectu, & de alijs re-bus communis est ratio, sed difficultas est de in-tellektu, quatenus intelligit, & perinde est quære-re, quo pacto veritas est in intellectu, atque in ipsa intellectione. Neque vero questio est de intelle-ctione, quatenus in se entitas quædam est, sed qua-tenus est signum, & ad res, quas significat, refer-tur, ex quo capite intellectio interdum dicitur fal-sa: cum tamen, quatenus res quædam est, semper sit vera, ut art. 3. patebit.

Hoc posito fundamento, in præsentī contro-uerfia sit prior opinio Ferrarien. i. contrag. c. 59. ad du-bium ergo motum, & c. 60. qui ex definitione verita-tis, quam initio memorauimus, colligit veritatem in intellectu esse conformationem cum re ipsa, & veritatem in rebus, conformationem cum intellektu. Porro veritatem, de qua modo est controuersia, censet bifariam in intellectu reperiri: vno mo-do tanquam in eo, in quo est verum & hoc pacto putat esse in quacumque simplici apprehensione intellectus; imo vero nonnulli Thomistæ, qui hanc sequuntur sententiam, dicunt, eandem veri-tatem conuenire speciei intelligibili impressæ, in qua est genus quoddam representationis: idem-que existimant de cognitione cuiusque sensus, sicut expresse docuit Ferrar. extremis verbis illius cap. 59. quorum omnium eadem omnino videtur esse ratio. Altero modo, inquit Ferrar. veritatem reperiri in intellectu cognoscente ipsam verita-tem: sic autem solum esse in compositione, & iu-dicio quia solo iudicio compositionis cognoscit conceptum suum conformem esse cum re intellek-ta, quæ sane conformatio est veritas, ob id tamen non censet, veritatem hoc modo esse posse in om-ni genere compositionis, & diuisionis: sed in eo dumtaxat, quo quis reflexe cognoscit suam intel-lectionem conformem esse cum re intellekta, quæ extra existit, aut existere potest.

Cum Ferrar. faciunt Socin. 5. meta. q. 17. Capreol. in 1. d. 19. q. 3. art. 1. concl. 3. Aegidius quolib. 4. q. 7. in eo sal-tem, quod asserit, veritatem intellectus non solum reperiri in simplici apprehensione, verum etiam in ipsa specie intelligibili: nam de veritate vtrum reperitur in compositione, an extra, nihil dicunt; imo sententia hæc videtur esse 3. Th. in hac q. art. 2. S. Thom. & q. seq. art. 3.

Prior pars huius sententiæ, in quam diximus Doctores proxime allegatos consentire, probatur primum duobus testimonijs Arist. Alterum est 3. anima c. 6. text. 26. vbi ita ait, *Est autem dictio quidam quippiam de quopiam quemadmodum affirmatio at-*

*Durand.
Heruzus.*

*2
Obseruan-
dum pro in-
telligentia
questionis.*

*Sententia
Ferrar.*

*Veritas tan-
quam com-
posita
tantum re-
peritur in
iudicio reflexe
non solum in
Ferrar.
Socin.
Capreol.
Aegidius.*

S. Thom.

*Probatur
prædicta sen-
tentia aucto-
ritate Arist.*

que omnis est vera, vel falsa: at intellectus non omnis, sed, qui est ipse quid est, ad formam accommodati, est verus. & non quippiam de quippiam dicit, sed ut visio proprii ipsius est vera: sic se habent ea, quæ sine materia sunt. hæc Arist. quibus differte affirmat eum intellectum, qui concipit ipsum quid, hoc est essentiam alicuius rei, semper esse verum, & nunquam falsum: atque eo differte ab enunciatione seu dictione, quod hæc possit esse vera, vel falsa: intellectus vero circa ipsum quid falli non possit. Porro Arist. loqui de intellectu non componente, manifeste patet ex illis verbis: Et non quippiam de quippiam dicit. Præterea in sensu cognoscente proprium sensibile veritatem esse, ut existimavit Ferrar. expressit Arist. illis verbis. Sed ut visio proprii ipsius est vera: quasi diceret, sicut sensus in cognitione proprii sensibilis semper est verus, sine compositione tamen, ita etiam intellectus circa ipsam rei quidditatem sine enunciatione, & compositione semper est verus: de sensu etiam idem docuerat Arist. 1. de Anima cap. 6. textu 63. dixerat enim sensum circa propria sensibilia, ut visum circa colorem, auditum circa sonum non decipi, neque falli, sed semper esse verum: at vero circa communia sensibilia, & per accidens aliquando decipi. Alterum testimonium est 9. Meta c. 12. ubi id ipsum asserere videtur, eius verba inferius citabimus: ea enim ad explicandam mentem ipsius in eo 3. de Anima, instat optimi commentarii nobis erunt: tantum abest, ut huic sententiæ aliquo modo faueant.

Arist.

Prima ratio
pro hac sen-
tentia.

S. Thom.

Secunda ra-
tio.

Deinde tribus rationibus confirmari potest prædicta sententia. Prima ratio, quemadmodum in simplicium apprehensione, & in ipsa specie intelligibili impressa est representatio rei, ita etiam est conformatio quædam cum illa, quia ipsam representat, sicut est: cur igitur talis conformatio non debet veritas appellari: nam si aliquid obstarer illud esset, quod veritas extra compositionem esse nequeat: hoc autem dici non potest, quoniam sicut quæcumque res, eo ipso quod est, dicitur vera, siquidem veritas constituitur passio entis, & tamen veritas illius non est complexa & composita, sed simplex: ita etiam species intelligibilis, & simplicium apprehensio poterit esse vera simplici veritate, quia sine compositione representat rem sicuti est: ergo nihil obest, quo minus veritas simplex in ea reperiatur, sicut in rebus: ac proinde cum definitio illa veritatis, scilicet, Adequatio intellectus ad rem, possit convenire intellectui per ordinem ad res & rebus per ordinem ad intellectum, ut docet S. Thom. in hoc art. in fine, erit profecto veritas simplex in intellectu, si in rebus etiam ipsis simplex reperitur, atque de sensu etiam exteriori eadem ratio confici poterit non modo quoad operationem sentiendi, sed etiam quoad species ipsas sensibiles, quæ in facultate ipsa recipiuntur, eamque potentem constituunt (ut aiunt) in actu primo.

Secunda ratio, in signis naturalibus, aut ex institutione est veritas, quia conformantur cum rebus, quas significant: quia ratione sumus est verum signum ignis: gestus vero & habitus exterior est signum interioris affectus, absque ulla tamen compositione aut divisione: nomen etiam simplex dicitur nomen verum, aut falsum alicuius rei: ergo in quacumque cognitione simplici intellectu, aut sensu & in ipsis speciebus impressis ra-

tione representationis, quæ est quædam significatio, potest esse veritas.

Tertia ratio, cognitio, qua Deus & Angeli res cognoscunt, non minus est vera, quam nostra quæ in compositione & divisione consistit: & tamen Deus, & Angeli intelligunt simplici intuitu absque complexione: de Deo id satis manifestum est, de Angelis vero probabitur infra disp. 223. ergo in simplici cognitione nostra potest esse veritas ac proinde etiam in specie intelligibili, & in sensu: horum enim omnium eadem videtur ratio.

CAPVT II.

Predicta sententia refellitur, & opposita testimonij præsertim Aristotelis, probatur.

Oppositam sententiam multo veriore existimo: videlicet veritatem intellectus in sola compositione & divisione proprie reperiri: eam tradiderunt Caiet. in art. 2. huius q. HERNANUS quolib. 3. q. 1. art. 2. & 3. Durand. in 1. d. 19. q. 5. num. 14. loquuntur autem de humano intellectu in viam vero eadem sit ratio de Angelico, atque diuino dicemus e. 4. in solutione tertiæ rationis. Possimus autem testimonij & rationibus hanc opinionem comprobare simulque priorem cum suis fundamentis refellere. In primis autem testimonia Arist. pro hac sententia sunt manifesta.

Primum testimonium est 1. lib. de interpret. cap. 1. ubi postquam dixit, voces, & conceptus esse signa rerum, statim subdit, Quemadmodum autem in anima conceptus interdum sine veritate, falsitate est, interdum vero talis ut alterum horum ei competat necessario: & in voce esse videtur: nam verum, & falsum in compositione consistit: & plura alia, quibus aperte docet neque in simplici conceptu neque in simplici voce verum, aut falsum reperiri. Secundum testimonium est e. 3. eiusdem lib. & 3. de anima cap. 6. text. 22. ubi idem differtis verbis affirmat.

Tertium testimonium est 6. Meta. cap. 2. prope finem, ubi sic ait, Quod autem tanquam verum ens, & non ens, ut falsum: quoniam circa compositionem, & divisionem est. & omnino circa partitionem contradictionis, verum etenim affirmationem in compositione habet, negationem vero in divisione: falsum vero huius partitionis contradictionem. Cum dicit ens tanquam verum esse, & non ens tanquam falsum, non accipit hæc duo simpliciter, sed prout in compositione, & divisione, quarum alterum vnumquodque intra se continere videtur: ideo statim addidit quoniam circa compositionem, & divisionem est quasi diceret, quoniam verum & falsum in compositione, & divisione reperitur, & vniuersæ in contradictionis oppositione, seu partitione.

Clarius id ipsum expressit paulo inferius, cum enim dixisset verum & falsum non esse in rebus, sicut est bonum, & malum, sed esse in mente: addit subinde: Quæ vero circa simplicia, & circa ea, quæ, quid sunt, non quidem sunt in mente: quasi dicat simplicium apprehensio, quæ est ipsius quid non est in mente: mentem vero appellat, non intellectum solum, nam in eo etiam est simplicium apprehensio: sed iudicium opinionis: græce enim est *doxa*, quod non solum intellectum, nec solum complexiorem aliquam, vel compositionem, sed iudicium etiam significat, ut etiam notabimus 1. 2. q. 2. art. 1. Et quamuis Damascen. ubi ibidem dicemus, imo Damascen. idem Arist. 6. Ethicor. c. 9. videntur hoc nomine pro

Veritas
intellectus
in sola
compositione
& divisione
reperiri
Caiet.
Herna.
Durand.
6

Probat
autem
sententia
testimonij
Arist.

Mente
quid
non
est
intellectus
solum
sed
iudicium
opinionis
Damascen.
pro

pro iudicio quodam quasi reflexo, quo quis inter opiniones diiudicat, Arist. tamen in loco nunc allegato usurpat pro quocumque iudicio, ut ita explicet, quia ratione veritas non sit in simplici apprehensione, neque in quacumque compositione; sed in ea quae est cum iudicio, & assensu: id quod in alijs locis allegatis significauit, cum dixit veritatem esse in compositione, quia dicitur aliquid esse, vel non esse, ut inferius explicabitur.

Obiter tamen circa verba citata ex 6. Metaph. c. 2. notandum est duriores esse eorum translationem in illa parte, *Et circa ea quae quid sunt*: esset autem facilius, & Graeco exemplari accommodatior, si diceretur: *Et ea, quae circa ipsum quid sunt*, hoc est, *Ea, quae circa simplicia versantur*, quae sunt cognitionis simplices, siue ea, quae circa ipsum quid, quae eodem modo se habent, nec adhuc perueniunt ad iudicium, & *Idcirco*.

Sed responderi Ferrar. cap. illo 59. §. *Ad dubium* ergo, vbi cumque Arist. dixit, veritatem, & falsitatem esse in sola compositione, & diuisione, non negasse, re ipsa esse etiam in intellectu simplici, sed docere voluisse, veritatem prout cognitam, solum esse in compositione, & diuisione: hoc est tanquam obiectum cognitum, solum esse in intellectione componente, aut diuidente atque in eundem modum exponit verba S. Th. in art. 2. citato, vbi existimat, cum cum Arist. consentire. Hae interpretatio Ferr. aliquibus recentioribus mirum in modum probatur, & proinde dicunt, veritatem esse in intellectu etiam simplici tanquam in eo, in quo est verum: in intellectu autem componente & diuidente solum esse, tanquam in cognoscente verum. Eius etiam meminit Caiet. in a. 2. §. *Ad euidentiam*, & aliter primo aspectu verbis S. Th. optime quadrate, sed veram non esse, ideoque censet, aliter interpretandum esse Doctorem Sanctum, Verum quicquid sit de mente S. Th. omnia etiam interpretatione Caiet. quae mihi non probatur, neque in ea examinanda amplius immorari volo, Arist. eo modo explicare non posse ex verbis ipsis in eo 6. Metaph. cap. 2. & ratione fiet manifestum.

Primum, quod ibi dixerat Arist. verum & falsum esse in sola compositione, aut diuisione, deinde probat his verbis: *Non enim est falsum, & verum in rebus, ut quod bonum, verum, quod vero malum, falsum: sed in mente, quae vero circa simplicia, & circa ea quae quid sunt, non sunt in mente*: vbi plane negat verum, & falsum esse in rebus, sicut est bonum & malum, quod enim durius transiit Bellation, *Ut quod bonum, &c.* Graece est *οὐ τοῦ πρὸς ἀγαθόν*: quod alij conuertunt, *Sicut bonum, vel sicut quod est bonum*, clarissime sic ordinari possent verba Arist. *Non enim est falsum & verum in rebus, sicut bonum verum, & sicut malum falsum*, cum igitur Arist. dicit bonum, & malum in rebus esse: verum autem, & falsum esse in mente, si intelligeret solum de vero & falso, prout est in cognoscente; quia ratione negauit verum, & falsum esse in rebus, de bono & malo, imo de quocumque alia re idem omnino dicere deberet, nihil enim ut cognitum, est in rebus sed solum in intellectu. Nam quod aliqui dicunt, peculiari ratione veritatem non esse nisi in cognoscente ipsam, nec satis explicant, nec verum esse potest: propriissime enim dicitur verum iudicium illius, qui actum directum enunciat rem esse sicuti est; licet ipse de ea veritate certus non sit, neque aduertat ad iudicium de illa verum sit, & propriissime dicitur *Videtur in 1. part. Tomus I.*

tur falsum, cum enunciat rem aliter, quam est, etiam si actum reflexum non habeat.

Præterea, ut optime contra Ferrar. notauit Caiet. veritas non tantum potest esse in intellectu: ut cognita in compositione & iudicio, sed etiam in simplici apprehensione, ergo quauis, ut iudicata, esse nequeat extra compositionem, & iudicium, saltem ut cognita, in simplici apprehensione esse possit, sicut enim quocumque res, & quidditas potest apprehendi simplici cognitione, potest etiam quidditas veritatis cognosci, siue illa sit quid reale, ut docere videtur Ferrar. siue sit quid rationis, ut alij putant.

Denum frivola esset doctrina Arist. his omnibus in locis, si docere tantum voluisset, veritatem & falsitatem, ut iudicatam, solum esse in iudicio ut cognitam in cognitione: hoc enim in doctis etiam & imperitis manifestum est: atque ut supra dicebamus, nihil peculiare de veritate, & falsitate dixisset quod cæteris rebus non conueniret.

Respondere posset aliquis deinde ad hæc omnia Arist. testimonia, & forsan probabilius, duplicem esse veritatem, quandam complexam, & hanc intellexisse locis citatis, quandam vero simplicem & de hac ibi non fuisse loquutum: hanc autem esse in simplici cognitione, in specie intelligibili, & in sensu, ut prior dicebat opinio: neque vero hæc distinctio alicui commentitia videri debet: siquidem idem Arist. 3. de anima c. 6. citato text. 26. dixit in simplici intellectu, & in sensu esse veritatem cum tamen eodem cap. text. 22. docuisset veritatem esse in sola compositione, quæ duo secum constare non possunt, nisi duplex illa veritas complexa, & incomplexa distinguatur.

Verum, hæc quoque solutio parum habet momenti. Primum, quoniam Arist. locis citatis, atque alijs multis, cum dixit, veritatem esse in sola compositione, nullam limitationem, aut explicationem addidit: intellexit ergo absolute quauis quæque veritatem, cum dixerit vniuersale, extra compositionem non esse. Deinde licet esset duplex illa veritas, utraque tamen haberet rationem communem veritatis: ergo cum Arist. dixit, veritatem extra compositionem non esse, non de aliqua, sed de omni intellexit: veluti si quis diceret, animal non esse in aliquo loco; non de vna specie tantum, sed de omni etiam dixisset. Ad hæc sine fundamento aduersarij confingunt, tertio illo libro de anima cap. 6. Arist. affirmasse, veritatem esse in simplici cognitione, & in sensu, atque adeo duplicem veritatem statuisse, quamuis enim verba illius primo aspectu id videantur denotare, tamen cum eandem materiam tractet 9. meta. c. illo 12. & ibi oppositum doceat, ut statim videbimus, in eo etiam tertio de anima idem omnino sensisse, dicendum est, ex quo etiam constabit duo illa testimonia Arist. quæ pro priori sententia adduximus, contra nostram nihil valere.

Concedimus igitur Arist. 3. de anima c. 6. text. 26. loqui de simplici cognitione, & apprehensione rei, cum ait, *Intellectus qui est ipse quid est ad formam accommodati, est verus & non quippiam de quopiam dicit*: sed tamen his verbis non significasse intellectum huiusmodi esse verum veritate propria, sed solum se habere in ea apprehensione in stat veri, qui componendo, aut diuidendo dicit, aliquid esse vel non esse: atque hoc ipsum de sensu intellexit, cum ibidem dixit, *Sed ut visio proprii ipsius est vera quæ facit*

Secundo ratione.
Caiet.

2

Tertio ab accommodato.

Aliorum sententia.

Arist.

Reijcitur primo.

10

Secundo.

Tertio.

Explicantur testimonia Arist.

L I

ne

ne interpretatio, si ex meo cerebro esset deprom-
ptasparum accommodata verbis Arist. existimari
posset: verum, quia ipse Arist. in eum sensum
perspicue se explicuit 9. metaph. cap. 12. hanc
fuisse eius mentem dubitandum non est. Cap. igitur
illo 12. text. 22. aperte docuit verum, & falsum
esse in compositione, & diuisione opinionis: deinde
de simplicibus, & non compositis docet, in eis
esse verum, non tamen falsum, sed ignorantem:
quia aut apprehenditur res simplici conceptu, &
est verus intellectus: aut non apprehenditur, &
tunc non fallitur intellectus, nisi componendo
aliquid enunciat: sed ignorat, aut non tangit rem,
quod solum est ab intellectu vacare: ubi non
voluit significare Arist. in simplicium apprehen-
sione reperiri proprie veritatem, & non falsita-
tem: sed solum aliquid esse instar veri, quod aliquo
modo verum posset appellari, scilicet ipsum attingere,
& apprehendere: hoc enim est dicere quod-
dam, licet non sit enunciare: nihil autem esse in-
star falsi, quoniam falsum non est in non cogno-
scendo, sed in aliquo cognitionis actu: quare po-
tius appellandum est non attingere, aut non co-
gnoscerere, quam villo modo decipi.

Ab hac expositione non diffinitur Aphrodis-
seus, cum inquit in hæc verba: In simplicibus autem,
& in compositis non id accidit, neque verum, aut falsum
perinde existit in his, atque in illis (id est compositis)
sed alio (scilicet modo) si enim perinde existeret,
ipsa inter se nihil differrent. Nullus etiam inter-
pretum Aristot. est, qui dicat Aristotelem concessisse
veritatem proprie in sola simplicium apprehen-
sione.

Ex contextu
sensu elici-
tur.

Ceterum ex verbis ipsius Arist. hanc esse ger-
manam expositionem ostendo: ait enim, Circa in-
composita vero quid esse, aut non esse, & verum & falsum?
quæ interrogatio affirmans sensum negatam con-
tinet: ac si dicat, in simplicibus non reperiri aliquid
esse, aut non esse, quod est compositio & diuisione;
nec verum, & falsum: quem sensum translatio
Auerrois manifestum reddit: subiungit deinde
Arist. rationem, Non enim est compositum, ut sit quidem;
si componatur, non sit autem si diuisum sit, nec verum, &
falsum, similiter in illis erit. Quasi dicat, ut non est com-
positio, & diuisione ita etiam non est verum, & fal-
sum. Sequitur statim, An quemadmodum neque verum
est idem in his, ita neque ipsum esse: hoc est sicut non est
in simplicibus eadem ratio veritatis, ita neque
idem esse: id quod vice versa iam antea dixerat.
Cum igitur asseruisset esse quidem diuersam ra-
tionem falsitatis, & veritatis, hanc diuersitatem
his verbis explicat: Certe illud quidem verum, hoc vero
falsum: attingere namque, ac dicere verum est: non enim
est idem affirmatio, & dictio: non attingere vero, est igno-
rare, non est profecto decipi circa quod quid est, nisi
secundum accidens: hoc est, in simplicibus vtrum-
que quodammodo reperitur, scilicet verum, &
falsum: sed verum nihil aliud est: quam attingere
seu apprehendere rem, quod est quoddam dicere.
Ceterum quia videbatur, consequenter concede-
re in apprehensione simplicium esse verum, sicut
in affirmatione, & negatione: addidit, non esse
idem dicere seu affirmare, & enunciare: quare
licet simplicium apprehensio sit dictio, quæ quan-
dam sub rationem veri, non tamen est affirmatio,
in qua proprie, & primarie est veritas. Sicut
autem dixit ipsum apprehendere esse tanquam ve-
rum, deinde non inquit, non attingere esse tan-

Dicere &
affirmare
non sunt idem
secundum
Arist.

quam falsum, sed esse ignorantem: quia nihil
est instar falsi, est enim sola negatio cognitionis:
falsitas autem, sicut etiam veritas, in aliqua opera-
tione, & cognitione est.

Ex his non solum confirmata manet nostra sen-
tentia, sed etiam sufficienter monstratum, duo illa
testimonia eiusdem Aristot. pro priori opinione
nihil valere: reliquum est, ut breuiter dicamus qua
ratione ipse alijs in locis dixerit, sensum circa pro-
prium sensibile esse verum. Omisiss autem alijs
interpretationibus id quod 2. de Anima cap. 6. tex.
63. dixit nempe sensum circa proprium sensibile
non posse decipi, in quo discrimen assignauit inter
proprium, & commune sensibile: circa quod sensus
errare potest, non est ita accipiendum, quasi
semper necessario sic eueniat: id enim falsum esse
experientia docet.

Præterea quod aliqui dicunt, hoc esse intelli-
gendum cum hac moderatione, si potentia sit re-
cte disposita, & obiectum recte applicatum, menti
Arist. non consonat, hac enim ratione sensus, neque
potest circa sensibile proprium, neque circa com-
mune: cum tamen ipse Arist. dicat, circa commune
contingere errorem, non tamen circa proprium.
Illius igitur text. 63. optimus interpret fuit Iple-
met Arist. 3. de Anima c. 3. text. 161. ubi sententiam præ-
dictam moderatur his verbis: Atque propterea sit quod
sensus quidem proprium est verus, aut raro admodum su-
scipit falsitatem: ergo concedit interdum falsi posse.
Deinde paucis lateris de communibus sensi-
bilibus inquit, Circa quæ maxime error, deceptioque fieri
sensu potest: quibus verbis differentiam constituit
in hoc, ut circa proprium sensibile difficilius, circa
commune vero facilius deceptio contingat id;
quod cæteris paribus intelligendum est.

His præmissis superest, ut demonstremus, Ari-
stot. his in locis non concedere veritatem proprie
in sensu exteriori, sicut asserbat pro priori sen-
tentia, id vero sic ostendo. Quemadmodum ipse
Arist. dicit sensum circa proprium sensibile esse
verum; ita quoque affirmat, circa commune de-
cipi, & esse falsum, atque ex eodem Arist. falsitas
& deceptio in sensu esse non potest, ergo eo loco
non docuit veritatem in sensu esse. Porro autem
falsitatem in sensu non esse ex doctrina ipsius 9.
meta. c. 12. colligitur, ubi, ut paulo antea referebam
docet, in simplicium cognitione, & apprehensio-
ne ipsius quidditatis intellectum decipi non posse
ac proinde in eo non esse falsitatem, sed ignora-
tionem, ergo multo magis in sensu, qui simplicis
notitia percipit obiectum, & nulla ratione com-
ponit, nequit esse deceptio.

Sed dicet quis, cum Arist. asserit sensum decipi
circa commune & per accidens sensibile, ignora-
tionem ipsam, vel ipsam non cognoscere, vocasse
errorem, & deceptionem latiori quadam signifi-
catione; non tamen aliquam cognitionem sensus
positiuam. Verum hæc interpretatio sententiae
ipsius non quadrat, quoniam hac ratione sensus
circa proprium sensibile non solum raro, ut con-
tendit Arist. sed etiam frequentissime decipi po-
test, quia semper est in sensu defectus alicuius no-
titiae, eo quod non semper sentitur quodlibet sen-
sibile quæ hoc genere erroris sensus semper de-
ciperetur. Cum ergo Arist. dicat nunquam, vel raro
falli circa proprium sensibile; circa commune ve-
ro, & per accidens frequenter; plane fit, ut loqua-
tur de errore, & deceptione, quæ non in sola ne-
gatione,

Quod
sensu
proprium
sensibile
non
posse
decipi

Veritas
pro
priæ
sensu
non
potest
decipi

Veritas
pro
priæ
sensu
non
potest
decipi

Veritas
pro
priæ
sensu
non
potest
decipi

Veritas
pro
priæ
sensu
non
potest
decipi

Veritas
pro
priæ
sensu
non
potest
decipi

Veritas
pro
priæ
sensu
non
potest
decipi

Veritas
pro
priæ
sensu
non
potest
decipi

Veritas
pro
priæ
sensu
non
potest
decipi

gatione, sed in aliquo positio consistit: cumque falsitas in sensu proprio esse non possit, efficitur etiam, ut veritas in ipso proprie non sit. Appellatur igitur verum, aut falsum cognitionem in sensu, non quia in eo veritas, & falsitas proprie sit, sed quia est causa veri, aut falsi iudicii in intellectu.

Id ipsum expresse docuit Ansel. in epistola de veritate cap. 6. quæ cum asserat multis in rebus esse veritatem, quam ipse ibi latissime accipit; tamen negat veritatem, & falsitatem in sensu esse; & veritatemque reijcit in opinionem, quæ ex ipso sensu exteriori originem habet. Conuenit igitur nobiscum Ansel. nisi quod ipse iudicium opinionis, in quo putat esse veritatem, & falsitatem, sensui interiori, quem communem appellat, videtur adscribere; licet Aristot. 3. de anima cap. 3. text. illo 161. cum tamen reuera neque in ipso possit esse enunciatio, nec iudicium opinionis ratione sui, nisi quatenus intellectui coniungitur: ac proinde prima radix veritatis, & falsitatis est intellectus iudicans aliquid de rebus.

CAPVT III.

Rationibus probatur posterior opinio.

Am vero sententiam nostram rationibus confirmare, simulque contrariam refutare oportet. Præmittendum autem est, huius difficultatis solutionem ex communi modo loquendi maxime pendere: esse enim conuenientiam aliquam inter rem apprehensam, seu representatam, & cognitionem simplicem, imo etiam inter speciem, & rem representatam, nem o dubitare potest: sed, an talis conuenientia sit appellanda veritas, quæstionem habet, quæ solum ex communi modo loquendi definienda est: & quamvis controuersia sit verborum, non rerum; tamen, ut i. cap. notauimus commendanda non est. Hoc igitur supposito duabus rationibus confirmatur nostra sententia.

Prior ratio est: voces sunt loco cognitionum, & conceptuum: quare quoties conceptus verus est: vox etiam, quæ ipsi substituitur, vera dicitur: contra etiam, si conceptus sit falsus, vox etiam ipsi respondens, falsa dicitur: nomine autem conceptus intelligo quem appellant formalem, hoc est, qualitatem, quæ est ipsamet cognitio, & operatio potentie: nec tamen assero hanc qualitatem denotari voce, sed in locum illius vocem subrogari: nam res cognita, & concepta voce significatur: illud enim voce significari dicitur, in cuius cognitionem, signum, quod eam significat, facit aliquem deuenire, homines autem ex verbis deuenimus in cognitionem rerum, non cognitionum eorum, qui nobis loquuntur, nisi quando etiam indicare nobis volunt, hoc, aut illud se cogitare, tunc enim cogitatio ipsa est significatum vocis, non res cogitata. Alioquin autem significatum est res cogitata, quæ dici solet conceptus obiectiuius, de quo existimo loquutum Aristot. cum i. Perih. c. i. dixit voces esse signa conceptuum: ergo voces non significant res cogitatas remote: significata prius cogitatione ipsa, quæ circa illas veratur; sed proxime significat res obiectiue existentes in intellectu loquentis, ut sup. disp. præced. cap. 2. etiam ostendimus. Substituuntur tamen voces loco cognitionum, ut per eas, is qui loquitur, faciat addicere intelligere id, quod ipse intelligit, & cogitare, quod cogitat. Eodem modo cum quis verbis

Vasquez in 1. part. Tomus 1.

explicat quid ipse cogitet, cogitatio est res proximè significata, est tamen alia cogitatio reflexa super illam, in cuius locum subrogantur voces, quibus loquens significat, se hoc, aut illud cogitare. Ergo in vniuersam voces substituuntur cogitationibus ac proinde, ut paulo antea dicebam, veritas, & falsitas eodem modo vocibus atque cogitationibus respondens; nulla autem vox simplex extra enunciationem dicitur vera, aut falsa, nam si quis audiat hanc vocem *Homo*, nondum dicere potest verum est, aut falsum est; cum vero audit enunciationem dicere potest, vera est, aut falsa est; ergo nulla simplex cognitio, cui vox simplex responderet, vera potest esse, vel falsa.

Respondet fortasse aliquis, etiam si in vocibus simplicibus non sit veritas complexa enunciationis, ratione cuius dicere solemus orationem, quæ voce profertur, veram, aut falsam esse; tamen esse veritatem, aut falsitatem simplicem, ratione, cuius dicere consueuimus, hoc est verum nomen huius rei, illud vero est falsum. Ceterum si quis recte consideret modum loquendi, quo dicimus nomen aliquod esse verum, aut falsum, videbit aperte, semper inuolui enunciationem aliquam. Verbi causa, dicimus verum nomen elementi superioris esse *Ignis*, & creaturæ rationalis corporis esse *Homo*, ac si diceremus, verum est, hæc nomina his rebus imposita esse; aut dicitur verum nomen, quia ex se iuxta suam impositionem non potest esse causa deceptionis, & falsæ enunciationis, sed tantum veræ, quod si contingat aliquando, falsitas aliunde quam ex ipso nomine veniet. Eodem modo dicitur falsum nomen alicuius, cum quis sibi aliud nomen assumit, quam reuera habeat, vel quia falsum est, illud esse suum nomen, vel quia ex se tale nomen assumptum causa est deceptionis, & falsæ enunciationis. Atque hoc modo dicuntur nomina vera, vel falsa ab effectu, ratione tamen suæ simplicis significationis non dicuntur habere veritatem, aut falsitatem.

Hinc autem etiam solutum manet, secundum argumentum prioris sententia, concedimus, namque, simplex signum naturale, qualis est fumus, gestus &c. esse verum, non veritate simplici, quæ ipsi primarie conueniat per ordinem ad rem simplicem significatam, sed quia videntibus etiam significat per modum enunciationis, qui enim videt fumum, non tantum apprehendit ignem, sed etiam statim indicat ibi actu esse. Sic etiam ex gestu, imo ex verbis simplicibus idem contingit, atque hæc ratione dumtaxat in illis est veritas, aut falsitas tantum in signo, quod videntibus, & audientibus enunciationem significat, si tamen simpliciter omnino significarent non per ordinem ad esse, vel non esse, nec vera, nec falsa talia signa dicerentur. Quocirca omnis veritas, & falsitas primarie non solum ad intellectum, sed etiam ad iudicium rationis reuocatur, ut nihil in signis, aut in cognitione dicatur verum, nisi enunciatio, vel id, quod ad illam aliquem ordinem habet, atque de rebus erit eadem ratio, ut disp. 7. dicemus.

Posterior ratio, in simplici apprehensione nequit esse falsitas, quæ proprie in deceptione consistit, ut plane docet Arist. 9. meta. cap. 10. v. 1. & 3. de anima, c. 6. text. 21. ergo nec veritas esse potest, hæc enim duo, ut etiam fatetur Aristot. 2. de anima, c. 1. sicut affirmatio, & negatio, sed contrarie opposuntur, contraria vero habent idem commune subiectum,

Solutio.

Explicatur cur nomina dicantur.

17

Signum naturale quomodo terminatur.

Secunda ratio.

Aristoteles, & Thomas. Contrarius contra rationem subiectum commune.

Quid sit
in disp.

Status quæ
stionis.

Prima ratio
ostendens in
simplici ap
prehensione
non esse verit
atem, aut
falsitatem.

Arist. quo
modo voces
sunt signa
conceptuum.

16

subiectum, ita ut si implicat contradictionem vnum eorum esse in aliquo subiecto, implicat etiam esse alterum. Neque quidquam refert, si quis dicat aliquod subiectum esse capax vnius contrarij, & non alterius, sicut coruus potest esse niger, sed non albus. Hoc enim ita accidit ratione peculiaris temperamenti, ut non implicet contradictionem intelligi saltem eorum album: simplex autem apprehensio nequit vilo modo intelligi cum falsitate, ergo nec cum veritate contraria.

Solutio 2^a ad 1^{am} q^{ue}stionem.

Rejicitur prima.

Respondent aliqui cum *Aegidio* quodlibet 4. q. 7. veritatem simplicis apprehensionis non habere contrarium: ideoque falsitatem soli veritati complexæ enunciationis opponi. Cæterum, ut effugiant vim argumenti, siue fundamentum communi-
scuntur duplex genus veritatis: cum omnia vera, etiam simplex apprehensio, ab effectu saltem ex vna veritate enunciationis possint ita nuncupari. Hæc igitur ratio simplicem cognitionem quidditatis possumus veram appellare, quia ex se causa est veritatis in complexione enunciationis, si aliquid aliud non obstat. Qui enim apprehendit rem aliquam, vel attingit quidditatem illius, sufficiens principium habet veræ enunciationis, & iudicij: nulla tamen simplex apprehensio dici potest falsa ab effectu, quia apprehensio rei ex se non est causa falsæ opinionis: quare vero res aliquæ falsæ dicantur ab effectu, disp. 77. cap. 4. dicemus.

Secundo rejicitur.

S. Thomæ.

Præterea aduersarij concedunt simplicem veritatem, & falsitatem rebus simplicibus: nam in operibus artis ea dicunt esse falsa, quæ non consonant ideæ artis: ea autem vera, quæ recte consonant: ergo ex eorum sententia veritati simplici est aliqua falsitas simplex opposita: quo supposito ratio superius facta optime colligit. Et quidem S. Th. q. seq. art. 1. eo quod dixit veritatem, & falsitatem esse contraria, ac proinde habere commune subiectum; concessit etiam in rebus simplicibus veritatem, & falsitatem: primum quidem falsitatem in operibus artis, cum deficiunt ab ideâ: deinde in naturalibus cum deficiunt à regula, ut in operibus peccati: quod an ita verum sit disp. 77. c. 2. videbimus. Quod si aliquis dicat in rebus non esse falsitatem proprie, & primarie, sed ab effectu, & quatenus res aliqua est causa falsæ opinionis, eam falsam appellari: id certo ego verius existimo: at hoc ipsum eadem quoque ratione de rerum veritate cur non dicemus? Quamobrem si in rebus secundarie, & ab effectu solum veritas, vel falsitas dicitur esse, de simplici etiam apprehensione, quod ad veritatem spectat, eodem modo dicendum est: nam quod nulla apprehensio simplex neque ab effectu falsa dici possit alia est ratio, ut disp. 77. c. 4. explicabitur.

Quæstio alia-
rum videtur.

Alij vero respondent etiam in simplici apprehensione reperiri falsitatem, nempe apprehensionem hominis esse veram hominis notitiâ, sed falsam notitiâ leonis, aut alterius rei. Hoc tamen ridiculum est: sic enim nulla notitia non esset falsa, quod est absurdum. Nam quamvis res aliqua quandoque dicatur falsa, hoc tamē solum contingit, quando in ea est aliquid accedens, ratione cuius ipsa apparet alterius naturæ, quam sit: quia ratione aurichalcum dicitur falsum aurum, quia apparet aurum, cum non sit: id quod in simplici notitia rei accidere non potest, ac proinde non est, unde dicatur falsa. Porro notitia hominis simplex, si comparatur cum leone, vel cum alia re, solum

habet rationem negationis, & ignorantiam: in ignorantia autem, & negatione notitia falsitas esse non potest, ut supra ex Aristotele probatum est.

Respondetur argumentis prioris sententiæ.

Iam vero nullo negotio argumenta prioris sententiæ diluere possumus. A primum respondemus, in simplici apprehensione, & in specie impressa esse convenientiam quandam cum re, quam representant: eam tamen propriam, & primariam non appellari veritatem: quia veritas primarie solum est in compositione. Dicit tamen potest veritas secundarie, & ab effectu, ut explicatum est: quo pacto quodcumque ens verum appellatur, ut disp. 77. ostendimus. Ad secundum iam satis dictum est. Ad tertium vero respondeo cum S. Thom. infra 2. Th. ar. 5. ad 1. in intellectu Angelico, & Diuino reperiri veritatem primariam, sicut in nostro intellectu componente, & diuidente, etiam si in nullo illorum sit compositio, & diuisio: sed simplici intuitu de rebus iudicent. In illis enim simplex apprehensio non est, sicut in nobis, qui ita simpliciter rem apprehendimus, ut ea cognitio non perueniat ad indicandum de re, esse, vel non esse, in quo quidem iudicio, non autem in quacumque compositione, & diuisione, verum, & falsum reperitur, ut in 2. c. huius disput. ex sententia Aristot. 6. Metaphysic. cap. 2. notauimus.

Hæc vero intellectus operatio, in qua est veritas, & falsitas, dicitur ab Arist. eodem c. affirmatio, & negatio, quæ in partitione, & diuisione contradictionis consistit, quia intellectus asserit aliquid, vel negat, & indicatio modo solum explicari solet: hoc enim non fit sine iudicio & assensu. Nam quousque intellectus apprehendens subiectum, & prædicatum aliquo modo videat, potius inter se conuenire, quam non conuenire; nondum dicitur iudicare, aut vnum de alio affirmare, & contra, nondum dicitur negare, quousque videat potius inter se non conuenire, quam conuenire: in quo assensum aut dissensum intellectus consistere, ostendimus 2. 2. q. 1. a. 5. quocirca Arist. 6. Ethic. cap. 9. consultationem distinguit ab opinione, & dianæ, quam ibi 6. Metaph. cap. 10. 2. interpretes ipsius transferunt mentem: distinguit igitur, quia opinio & *δύναμις*, iam est enunciatio: at vero consultatio nondum est enunciatio: hæc enim idem est, quod affirmatio, & negatio. Quamobrem Arist. in prædicam. cap. de substantia, non longe à fine, pro eodem accipit orationem, & opinionem, quam dicit esse subiectum veritatis, & falsitatis, & secundo de interpretatione, cap. ultimo, contradictionem assignat inter opiniones, quas enunciationes vocat. Cum igitur dixit 6. Metaph. c. 2. veritatem esse in ipsa diuisione contradictionis, intellexit eam esse in iudicio, seu opinione.

Quod si aliquis obijciat, posse esse propositionem compositam in intellectu, antequam ipse iudicet quidquam. Respondeo hoc solum fieri posse apprehendendo solas voces: at vero res ipsas inter se non posse ab intellectu connecti enuntiatione, quæ indicatio denotatur, quousque cognoscat prædicatum magis conuenire subiecto, quam oppositum, quod est assentiri: vel cognoscat non conuenire, quod est dissentiri.

Ex dictis inferitur quo pacto in Deo sit veritas etc.

In iudicando, sicut in nostro intellectu reperitur in enunciendo. Cumque diuinus intellectus sit infinitus, & supra omnem intelligentiam, ac proinde non possit non intelligere, & iudicare omnem rem, sicuti est, consequitur in ipso esse summam veritatem, quæ falli aut decipi non possit: de qua fufius disputatum est per totam quæst. 14. nam ad scientiam Dei potius, quam ad illius essentiam hoc genus veritatis nostro modo spectare videtur. Cæterum an consistat in aliquo respectu rationis, seq. disp. dicemus: nunc vero ostendisse sufficiat, hoc genus veritatis esse conformationem, seu conuenientiam intellectus iudicantis cum re ipsa.

DISPUTATIO LXXVI.

Vtrum hæc veritas enunciationis sit conuenientia conceptus formalis, an obiectiui cum re ipsa?

Veritas intellectus est conformatio conceptus obiectiui cum re. cap. 1.

Corollarium superioris doctrinae, cap. 2.

CAPVT I.

Veritas intellectus est conformatio conceptus obiectiui cum re.

EX disputatione præcedenti solum habemus, veritatem esse conformationem intellectus enunciantis cum re ipsa. Cæterum cum in intellectu sit qualitas ipsa cognitionis, quæ dicitur conceptus formalis, & res cognita, quæ dicitur obiectiui; non satis constat inter Doctores cuiusnam conformatio, seu conuenientia sit veritas.

Prior igitur sententia est Caiet. in art. 2. §. *Ad enunciantem*. in secunda notatione, qui censet veritatem esse conformationem conceptus formalis cum re, siue conceptus formalis sit species expressa, siue cognitio ipsa: itaque qualitas illa, quæ representat re esse, sicut est, dicitur vera ex sententia Caiet. quia conformis est cum re, quam representat. Hanc opinionem nulla ratione probat, sed tanquam notam supponere videtur: in hunc tamen modum suaderi possit. Veritas ita est conformatio intellectus cum re, ut primarie sit in ipsomet intellectu, & inde ad res deriuetur, ut disput. sequenti explicabitur: ergo debet esse primarie in ipsa qualitate, & conceptu formali, qui est in intellectu, ratione cuius in ipso etiam intellectu est res intellecta: nam si veritas esset conformatio rei intellectæ, cum seipsa, prout est extra, non tam intellectus, quæ res intellecta, vera diceretur: atqui intellectus primarie dicitur verus, res autem ipsa secundarie: ergo veritas est in conceptu formali, non in obiectiui. Hanc opinionem videtur secutus Agidius quodlib. 4. q. 7. docet enim, veritatem esse assimilationem intellectus, quæ in ipso formaliter est.

Posterior sententia mihi probatur, quam tradit Durand. in 1. d. 19. q. 5. num. 13. videlicet veritatem primarie esse conuenientiam conceptus, non formalis, sed obiectiui cum re ipsa, prout est extrajita ut sit conformatio eiusdem rei cum seipsa sub diuerso modo. Eandem sententiam docuerat prius discretis verbis Heruæus quodlib. 3. q. 1. art. 2. & 3. quamuis quidam recentiores perperam ipsum intelligentes, arbitrati sint, eum in alia ab his duabus fuisse opinionem: nempe veritatem esse conuenientiam rei, ut est extra intellectum cum seipsa, *ut aq. in 1. part. Tomus 1.*

ut est intellecta: his enim fere verbis veritatem definiuit. Cæterum cum plane asserat in eodem articulo, veritatem non esse formaliter in ipso intellectu; hoc est, in conceptu formali, sed in re intellecta, hoc est, in conceptu obiectiui, non quia sit conformis conceptui formali; sed quia sit conformis ipsimet rei existenti extra intellectum, non est cur cicamur; aliquid aliud, quam Durandum sensisse.

Verba Heruæi sunt hæc: *ideo sequitur, quod non est formaliter* (scilicet veritas) *in actu intelligendi, nisi sicut in representante, sed in re intellecta, neque in re intellecta in habitudine ad representans, sic scilicet, quod talis sit res, qualem est suum representatum, sed in hoc, quod sit talis, qualis representatur.* Cum igitur dicit, veritatem esse conuenientiam rei secundum se cum seipsa intellecta, perinde est, ac si diceret, ex eo id, quod concipitur de re, esse verum, quia conforme est rei secundum se, hoc est, talis obijciatur intellectui, qualis est secundum se: vel contra, talis est secundum se, qualis obijciatur intellectui: hæc enim duo eodem recidunt. Quod si Heruæus oppositum docuisset, sine dubio id confutasset Durandus, quando ex ipso cætera omnia, quæ ille docuit, desumpsit. Et in hunc sensum intellexit Heruæus Soncinas libro 6. Metaphys. quæst. 17. art. 2. in fine. In eandem sententiam, licet non tam aperte, inclinat Henricus in Summa, art. 34. quæst. 5. eam vero duabus optimis rationibus confirmat Durandus, quarum prior est.

Conformatio, seu conuenientia representationis, vel cognitionis cum re ipsa, quæ dicitur veritas, in hoc consistit, ut res cognitione representetur, aut cognoscatur sic esse, sicuti ipsa secundum se est: ideo enim intellectus est verus, quia cognoscit rem ita esse, sicuti ipsa est: atqui talis conuenientia primarie, & per se spectat ad rem, ut est obiectiue in intellectu, non ad conceptum formalem: ergo in ea primarie reperitur veritas. Porro conuenientiam primarie conuenire rei, prout est obiectiue in intellectu, sic probatur. Intellectus non dicitur, cum rebus ipsis sua intellectione conformari ex eo, quod sua intellectio sic se habeat ad ipsum, in quo est, ut in subiecto, sicut res in intellectu se habet ad suum esse reale, hoc enim est manifeste falsum: sed ex eo, quod res ita intellectione representatur, sicuti ipsa est: ergo id, in quo proxime vniuntur, & conueniunt intellectus, & res secundum se, est ipsamet res cognitione obiectiue representata: illa igitur est, cui primarie inest conuenientia, & veritas.

Posterior ratio, quam desumpsit Durandus ex Heruæo, est huiusmodi. Illud est primarie verum, quod significatur enunciatione vera, quæ est in voce: nam affirmatio, quæ est in voce, non est alio modo vera, quam quia est signum ipsius veri; sicut vrina non est alio modo sana, nisi quia est signum animalis sani: voces autem non significant conceptus formales, & ipsas intellectionum qualitates, sed res conceptas, ut disput. præcedenti, c. 3. in 1. ratione ostendimus: ergo res obiectiue sunt primarie veræ, non autem conceptus formalis. Cætera igitur omnia vera sunt ex ordine ad veritatem, quæ conceptui obiectiui primarie conuenit, non solum voces, sed ipsamet qualitates intellectionum: hæc enim sunt signa conceptus obiectiui veri: at vero conceptus obiectiui verus est non ex veritate rerum secundum se, res enim non dicuntur

Soncinas.

Henricus.

Prima ratio Durandi.

Secunda ratio.

Ex ordine ad conceptum obiectiui veræ sunt voces, & conceptus.